



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

n. 19.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1626.

existimamus vbi vis hostium acrior ingruit, summoque conatu adnitendum vt in tanto animarum discrimine sint qui rudes instruant, labantes in fide confirmant, stantes roborent, lapsos erigant, hæreticis vi & ferro armatis se, Dei verbo, opponant. Inter quos cum nobis certo constet præcipuo studio profectuque gnauiter laborare Patres Societatis *Iesu*, illos, cum animarum periculo hanc Domini vineam tot feris obnoxiam excolere, contumelias, famem, carcerem, verbera, cruciatus, mortem pro Christi nomine perferre, vtilissimum Ecclesiæ iudicauimus si eorum pium hoc studium feruoremque nostris auxilijs opibusque iuuaremus ac promoueremus. Quam ob causam & hætenus Collegium *Anglicanum* quod est *Leodij*, siue cum ibi Tyrones Religionis rudimenta ponerent, & ad pietatem exercerentur, siue cum Societatis Scholastici Philosophiæ & Theologiæ studijs ad grande docendi munus, animamque pro Christo ponendam informarentur, annuâ eleemosynâ profecti sumus. Cum verò ante aliquot menses, diuina Nos mouente gratia, Collegij illius statum Nobis præscribi iussissemus, ea mente, vt quoniam accisa erat annona, & quod reditus quos ex *Britannia* solebât accipere, persecutionis violentia accidi & interuerti suspicaremur, inopia laborantibus largiore pensione succurreremus: non sine dolore intelleximus Collegium illud non modo fundatum & dotatum non esse, verum etiam per iniquitatem temporû & hostiû, ære ad eò alieno pressum, vt annuos reditus, expensæ quæ creditoribus in annos singulos soluendæ sunt, multum superarent. Quare non in præsens modo, sed in perpetuum, hoc Seminarium conseruare, dotare, fundare decreuimus.

XIX. Nos itaque *Maximilianus*, Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux, S. R. I. Archidapifer, Elector, simul cum Serenissima Coniuge nostra *Elizabetha* Bauariæ & Lotharingiæ Ducissa Collegium *Anglicanum* quod est *Leodij* fundamus & dotamus & diuinæ Majestati ad animarum nostrarum salutem offerimus, & Societati *Iesu Anglicanæ* nationis de manu nostra tradimus, illo proposito ac intentione vt in eo Religiosi Societatis *Iesu* secundum eorum Sanctum Institutum, constitutiones ac regulas in virtutibus, pietate, scientiaque instituantur & exercentur, vt cum eorum Superioribus in Domino vilius fuerit ad prædicandum Euangelium, administranda Sacramenta, aliaque quæ Societas secundum suum Institutum laudabiliter præstare solet perficienda, conseruandamque *Britanniam* & propagandam Ecclesiam mittantur.

Assignamus vero & donamus eidem Collegio pro fundatione integra ducenta millia florenorum Rhenensium, probæ & Imperialis monetæ, computatis in singulos florenos quindecim Batzijs, siue sexaginta Crucigeris: Atque ad hanc summam ex Camera nostra Monacensi, seu ærario quod vocant *Rent vndt Cameram* bnt, persoluendam Nos, posteros, successoresque summa auctoritate & fide, coram Deo, omnium nostrarum actionum arbitro, obligamus. Nam quod ad totam hanc fundationem attinet, id quod fastidij vitandi gratia & prolixitatis repetere in singulis capitibus

capitibus non licuit, hic vniuersim etiam de singulis quæ in his literis comprehenduntur, auctoritate nostra & fide in conspectu Dei protestamur, Nos omnia & singula huius foundationis capita, ad Dei gloriam, Ecclesiæ augmentum, nostram consolationem, & totius, non modò Ecclesiæ, sed nostræ etiam Prouinciæ vtilitatem sic constituisse, & quidem maturo, non nostro solum, sed etiam aliorum prudentum, & Patriæ, & Catholicæ Religionis amantium consilio, & certa & diuturna deliberatione, quâ conscientia & mente freti liberius, fidentiusq; hanc omnem nostram fundationem, donationem, & quidquid demum his literis expressum est, fecimus & stabiluimus, non solum nostro, sed etiam posterorum ac successorum nomine, quos eisdem posteros & successores nostros, atque etiam omnes eos cuiuscunque status, ad quos huius nostræ foundationis quocunque modo pertinebit executio per amorem, exempla, & merita maiorum nostrorum, per honorem & gloriam totius familiæ ac domus Bauariæ, per caritatem dulcissimæ patriæ & Prouinciæ nostræ, per quicquid cuique potest esse carissimum, per misericordiam omnipotentis Dei, per illud extremum & terribile iudicium, aut si potest maior esse & efficacior obtestatio, hortamur, monemus, obsecramus, obtestamur, adiuramus & strictè obligamus, vt hanc nostram fundationem, institutionem, assignationem, applicationem, concessionem, quæq; in his literis continentur vniuersa, & singula, minima atque maxima, inuiolata manere, per se suosque ea fide & conscientia curent, tanquam de qua coram æterni Iudicis tribunali, Nobis seuerè poscentibus rationem sint reddituri.

X X: Quia autem hoc tempore quo bello omnia flagrant, nulla Nobis occurrit opportunitas eam summam aliquo in loco Leodij, aut vicino, ad census annuos tuto, & vtiliter certo collocandi; multo minus autem ratio apparet fundos, prædia, aliaque bona stabilia coemendi in illis Prouincijs, vnde annuus iste census conficiatur, idcirco statuimus ex nostra Camera Monacensi, seu ærario prædicto, certum censum in singulos annos pendere, nempe quinque florenos in centum, atque ita decem millia annua in ducenta millia summæ Capitalis: dimidiam partem quidem, hoc est, quinta millia vernis nundinis Francofurtensibus, alteram dimidiam autumnalibus nundinis, nostro sumptu, nostroque periculo Francofurtum deferri curabimus, vt eam ibi Rector Collegij per se vel suos substitutos integrè & certo recipiat. Censum autem in proba & Imperiali moneta solui volumus vt de summa Capitali diximus. In sacro Romano Imperio contingit quidem aliquando rei monetariæ conturbatio; ne tamen inde detrimentum capiat nostrum Collegium quod fundamus, quodque maximè florere peroptamus, paterno affectu prospiciendum iudicauimus; proinde promittimus, & nos, successorumque nostros, vt ad cætera omnia, ita ad hoc obligamus vt dalerum Imperialem pro viginti duobus Batzijs & dimidio soluant, seu pro floreno & dimidio; & eadem proportione aliam monetam, siue argenteam siue auream, quæcunque illo tempore, vel ex principum placitis, vel vsu populi, aliaque

Gggz

quacunque